NONNULLA DE MALACOSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIII. MENS. NOVEMBRIS A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MARCUS JOACHIMSTHAL

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

M. SCHLESINGER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
G. FRIEDLAENDER, MED. ET CHIR. DR.
S. SAMOSCH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLÆNDERIANIS.

VIRO

HUMANISSIMO AESTUMATISSIMO

L. Joachimsthal,

FRATRI PATRUETI DILECTISSIMO

OPTIME DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

FRATERNO AMORE GRĀTOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

Processus morbosus emollitionis, malacia, malacosis, ramolissement, softening, est ille morbus substantiae organicae, quo ejus consistentia per ambitum plus minus circumscriptum imminuitur, structura normalis et plerumque etiam color mutatur. Quem morbum in cadaveribus invenisse, meritum est ultimi decennii saeculi praeteriti et imprimis hujus temporis. Nec hunc processum veteribus ignotum fuisse, inauguralis dissertatio literatura valde insignis Hug. Franc. Kleudgen (de Phthiseos ventriculi pathologia. Bonn. 1820.) nos edocet.

Priusquam de re hujus morbi agamus, symptomata, quae diversae ab eo correptae partes corporis humani proferunt, et diagnosin ab aliis similibus affectionibus afferre nobis idoneum videtur.

ENCEPHALOMALACIA.

Fere semper hoc in morbo tria stadia, certis finibus illa circumscripta, discerni possunt, quorum quidem primum modo incerta ostendit symptomata, quae etiam in multis aliis morbis occurrunt et tum demum majoris momenti exsistunt, cum stadii secundi symptomata accedunt, sine quibus diagnosis morbi saepe omnino manet obscura.

I. Stadium primum.

Aegroti de capitis dolore conqueruntur fixo, pertinaci, vehementissimo, qui modo per paucas horas, modo per plures dies, immo menses non desinit, interdum autem nullus adest. Aegroti corripiuntur vertigine, animi imbecillitate, memoria parum valent; imaginandi facultas deleta, notiones perturbatae videntur; ad quaestiones propositas recte quidem respondent, sed demum post deliberationem longiorem indifferentes sunt, morosi, taciturni, interdum apathici, saepe valde somnolenti. Praeterea formicatio, membrorum stupor, praecipue digitorum, in rebus arripiendis difficultas, immo rigor, qui nonnunquam ad quendam contracturae gradum evehitur. Neque intellectus semper imminutus, sed saepius apparet auctus. Aegroti aliquando in deliria incidunt et magnam inquietem, cum symptomatibus febrilibus conjunctam. Huc accedunt functiones vitae organicae impeditae, ciborum appetentia turbata, sitis adaucta, concoctio tarda, quibus adjunguntur ructus, vomituritiones et vomitus ipse, molestiae epigastrii, nonnunquam diarrhoea apparet, saepius autem obstipatio alvi, vel potius recti inertia, raro dejectio alvi involuntaria, urina parca, quae quidem difficulter retinetur.

II. Stadium paralyseos.

Secundo stadio ineunte omnia symptomata supra nominata adaugentur. Aegrotus repente, et plerumque quidem horis matutinis, vel, quod rarius fit, plus minusve celeriter usu privatur nonnullorum membrorum, vel dimidii corporis; saepissime immi-

nutio cernitur, aut tota contractilitatis abolitio. Extremitates statum majoris vel minoris paralyseos et perfectae resolutionis subeunt; oriuntur magna gravitas, formicatio, dolores adeo pungentes, intolerabiles, praecipue compressione crescentes. Facies albida, cephalalgia vehementior, quam in primo stadio, quae interdum nunc demum oritur et cujus locum aegroti fere semper accurate significare possunt.

III. Stadium febris torpidae.

In hoc febris torpidae accessione vita aegrotorum mox exstinguitur. Pulsus frequens, postremo innumerabilis, parvus, filiformis, irregularis; cutis aspera, sicca, ardens, raro in agonia sudore viscido obtecta, lingua dentesque squalido muco obducti. Vires collabuntur, deliria murmurantia mox in soporem transeunt, saepe in gravem lethargum aegroti incidunt, ex quo expergefieri nequeunt; paralysis, nisi jam in stadio secundo aderat, nunc plerumque post febris accessionem fit completa, nunquam diminuitur. Respiratio denique magis accelerata, difficilior, interdum stertorosa, quibus sub symptomatibus solent aegroti mox diem supremum obire.

Encephalomalacia vel acuta vel chronica esse potest. In forma acuta prodromi per longius tempus perdurant, cum primo statim incursu extremitatum paralysis completa exoritur, deliriis non praecedentibus, lipothymia atque sopor mox accedunt; stadium secundum paucis horis vel diebus morte finitur. Encephalomalaciae vero chronicae prodromi vel breves vel multi sunt, cum primo insultu paralysis modo incompleta evadit, conscientia

paullatim evanescens, persaepe deliria in soporem transeuntia, febris torpidae stadium perlongum.

Encephalomalacia aut primaria aut secundaria est, quarum altera ad status morbosos et destructiones cerebri accedit et quasi eorum exhibet sequelam.

Encephalomalacia a multis aliis morbis debet discerni, ab apoplexia sanguinea et nervosa, hydrocephalo, encephalitide, tuberculis et tumoribus.

Differentia inter encephalomalaciam et apoplexiam sanguineam haecce est.

Causae:	Prodromi.	Facies (in insultu.)	Pareseos signa.	Respiratio et pulsus.
Sunt in apoplexia:				
habitus apoplecticus; anni fere 50 — 60.	aut nulli aut congestiones, vertigo, susurrus aurium.	rubra et livida, pulsatio carotidum et venarum jugularium, oculi iniecti et prominentes, pupilla modo dilatata, modo contracta.	Conscientia deleta, hemiplegia completa, coma cum insultu apoplexiae intrat. Extremitates paresi affectae non dolent, resolvuntur.	Resp. stertorosa. Puls. plenus, magnus et lentus.
In encephalomalacia:				
Aetate et aliis caussis effecta debilitas hominum decrepitorum, praesertim mulierum an. 70—80.	fere semper: Cephalea hemilateralis, incompletae pareseos symptomata intervallis quibusdam et post quemque insultum graviora.	pallida. Capitis temperies non magis quam trunci aucta. Oculus languidus, nubilus. Pupilla normalis.	Conscientia integra, hemiplegia incompleta, paullatim modo haec fit completa, illa evanescit. Coma ultimum format stadium encephal. Extremitates par. affectae dolent, earum musculi contrahuntur, convulsiones hemilaterales.	Resp. normalis sine murmure. Puls. frequentior, parvus, debilis.

In apoplexia nervosa prodromi, omnia encephalomalaciae adscripta symptomata desunt, insultus autem subitaneus mox mortem adducit.

In hydrocephalo acuto senili — apoplexia serosa veterum — quae secundum Fuchs idiopathica esse potest, prodromorum symptomata sunt: vertigo, somnolentia, cephalaea vaga, sensuum et memoriae debilitas. Rubedo et pallor faciei alternant, pulsus mox normalis mox celer, temperies extremitatum, mox aucta, mox diminuta, oculus languidus, appetitus minutus, secretiones parcae. Cephalaea et somnolentia augentur, coma mox in soporem abit, desunt pareseos symptomata, conscientia semper deleta, porro desunt contractiones musculorum, dolores in extremitatibus.

In hydrocephalo senili chronico prodromi annos perdurant, adest omnium secretionum diminutio et paullatim evanescens perceptio sensuum, cui serius idiotismus completus cum pupillis dilatatis, ingressus vacillans, manuum tremor et non satiabilis appetitus adsociatur.

Hydrocephalus infantum acutus differt ab encephalomalacia congestionibus, vomitu, convulsionibus, conscientia mox exstincta, pupillis dilatatis, pulsu lento et tardo; hydr. chronicus peculiari formatione cranii, ambo paresi aut nunquam, aut in ultimo modo stadio intrante.

Encephalitis sine prodromis cum febri vehementi et intensa cephalaea, congestionibus summis intrat, quas sensuum sequuntur affectiones, deliria furibunda, nec raro convulsiones, pareseos symptomatibus magis in descensu et exitu morbi se manifestantibus.

Tubercula et tumores cerebri non tam longaevos homines, quam malacia corripiunt, plerumque e dyscrasia aliqua oriuntur, eorum decursus in universum multo tardior, capitis dolor magis circumscriptus, continuus, vehemens, saepe per annos multos symptoma est unicum, id quod nunquam e-

venit in encephalomalacia; porro extremitatum paresis modo rarissime primis in stadiis exsistit, saepe autem per totum morbum vomitus chronicus sympathicus, vix ille reprimendus. Maxime vero eo, quod in encephalomalacia prodromorum stadium extemplo paralysis, in tuberculis autem capitis dolorem aliaque symptomata stadium sequitur convulsivum, diagnosis confirmatur.

MYELOMALACIA.

Dolor plerumque fixus in quadam parte columnae vertebrarum, cui formicatio saepe in pede aut manu adsociatur. Parte cervicali malacia affecta, cervix est obstipa, extremitates superiores convelluntur, respiratio perturbatur, parte dorsali affecta convulsiones adsunt in trunco, quas palpitationes cordis, febris vehemens et respiratio difficilis excipiunt, parte lumbali affecta extremitates inferiores convulsione, immo paresi corripiuntur, tractus intestinalis et vesicae motus aut omnino sublatus, aut involuntarius.

Myelomalacia et acuta et chronica esse potest, plerumque autem chronice decurrit.

NEUROMALACIA.

In systemate nervoso nervi ipsi rarius emolliuntur, quia vagina propria induuntur, quam quidem saepe emollitam vidit in nervo ischiadico Cotunni[1]). Nervorum cerebralium nervus ophthalmicus, par quintum, nervus acusticus saepe in massam gelatinosam mutati visi sunt, functionibus eorum vi nempe perceptrice aut motrice in partibus ab iis instructis prius sublatis.

Conferas Descoti libr. (Die örtlichen Krankh. der Nerven, aus dem Französ. v. Radius. Leipzig, 1826. 8.) p. 102.

Van de Keer ap. Descot. p. 104.

1) De ischiade nervosa. Neapoli 1783. ed. 2.

Martinet Revue médicale. 1825. Vol. II. p. 329.
Morgagni de sedib. et caussis Epist. V. n. 11.

HEPATOMALACIA.

Symptomata hepatitidis acutae aut chronicae, aut morborum sic dictorum organicorum saepe aderant, cum post mortem sectione facta haecce inventa est affectio morbosa. Interdum symptomata modo levissima subitanea secuta est mors. Saepissime cum hydrope, ictero et phthisi complicata cachexiae cujusdam effectus videtur.

Annesley vidit in India orientali formam acutam malacosis hepatis cum symptomatibus febris adynamicae. Andral hepatitidem traumaticam in malaciam transire observavit. Boismont invenit hepatomalaciam in homine, qui vomitu et ictero levissimo laborabat.

SPLENOMALACIA.

Hachmann duo distinguit stadia, irritationis aut congestionis et emollitionis.

Stadium primum. Febris modo remittens quotidiana aut tertiana, modo hemitritäeus, modo quotidiana, tertiana, quartana intermittens. Vomitus massarum mucosarum, aquosarum, saepe viridium, raro sanguinolentarum; anxietas praecordialis. Facies et conjunctiva bulbi rubra, sitis vehemens, qua sedata, oppressio in praecordiis oboritur. Abdomen molle, regio praecordialis tensa, pulsatio epigastrica. Diarrhoea massarum nigrarum aquosarum, foetidarum. Urina rubra; pulsus mox frequens mox tardus, mox normalis, mox irregularis. Deliria.

Stadium secundum. Aegroti collabuntur, status fit typhosus. Sopor mox ad mortem ducens. Saepe splenomalacia aut hepatomalacia, ut infra demonstrabitur, cum gastromalacia complicata est.

Secundum Heusinger splenomalacia exitus

est splenitidis acutae aut chronicae venosae, ac saepe observatur post febres intermittentes et endemicas et epidemicas.

PNEUMOMALACIA

ab Autenrieth typhus pleuriticus, a Schönlein pneumonia typhodes nominata. Balling tria dignoscit stadia: gangraenae, emollitionis et criseos.

Stadium primum. a. Symptomata topica. Dolor fixus in parte quadam pectoris saepius sinistri pungens, urens, interdum sensus carbonis urentis. Percussa pars affecta obtuse resonat; aures aut immediate aut stethoscopii ope eidem loco admotae rhonchum percipiunt crepitantem. Tussis. Sputa viridi colore, nonnullos post dies foetida, fere semper dissolutus sanguis nigricans iis admixtus est.

b. Symptomata reactionis: Febris. Frigus et calor alternant; disharmonia affectionis localis et debilitatis aegroti. Facies pallida, temperies cutis valde adaucta, cutis sicca; sudor partialis in pectore, fronte. Pulsus parvus, celer; sanguis venae emissus sine crusta inflammatoria tarde modo coagulatur. Tussis vehemens. Alvus nunc aperta, nunc obstructa. Urina initio rubra, clara, nonnullis diebus post fit turbida.

Stadium secundum. a. Sympt. topica: Dolores diminuuntur, quamvis interdum locum occupent majorem. Affecta pars percussa jam edit sonum clariorem quam loci vicini. Aures auscultantes sonum respiratorium non audiunt, sed strepitum quendam, bronchiis quasi liquore oppletis. Cum doloribus et tussis diminuitur. Respiratio fit difficilis, stertorosa. Sputa viridia, nigricantia, saepe saniosa, odore foetidissimo.

b. Sympt. reactionis: Febris torpida. Vires magis magisque collabuntur, cutis calida, sicca perdurat, colore livido. Pulsus frequentissimus, par-

vus, propemodum filiformis, interdum mollis factus. Secundum Schönlein ambabus manibus non est aequalis. Sitis nunc fere insatiabilis, lingua sicca, rimosa, interdum media in parte muco obducta nigro. Urina fit turbida, sedimenta rubro-fusca ponens. Diarrhoea, lipothymiae. Deliria muscitantia nocte, tristissimis modo casibus in diem producta. Exacerbationes febris horis vespertinis, remissiones matutinis.

Stadium tertium. a. Sympt. topica: Sputa brevi tempore quantitate augentur dissolutarum massarum fuscarum foetidarum. Neque raro initio hujus stadii haemorrhagiae intrant, mox quidem evanescentes. Odor foetidus, quem sputa halitusque dispergunt. Pars affecta clare resonat, ut quaeque pulmonum caverna. Aures auscultantes respirationem percipiunt cavernosam. Oppressio et anxietas constant.

b. Sympt. reactionis: Febris torpidae remissiones breviores existunt, cutis sicca, arida, interdum sudore colliquativo tecta. Oculi fixi, facies collapsa. Pulsus filiformis, celer, tensus; lingua muco nigro obducta, sicca, rimosa. Si status pejor fit, lipothymiae frequentiores sunt, deliriaque longius perdurant.

Quae tria stadia fere semper dies VI — XXXVI. percurrunt.

Quamvis affectiones topicae inflammationem simulent, tamen morbi decursus, symptomata reactionis, virium prostratio rapidissima, sputa peculiaria hunc errorem tollunt. In pleuritide dolor adest vehemens, pungens in aliqua minus circumscripta parte pectoris, qui inspiratione profunda, musculorum pectoris actione ut in brachii ab- deadductione augetur. Respiratio adest celeris et brevis. Tussis sicca non frequens sputa mucosa profert non colorata. Auscultationis et percussionis signa omnino alia sunt atque in pneumomalacia.

In pneumonia vera oppressio pectoris primum

est symptoma morbi. Respiratio brevis, difficilis, celeris; aegroti profunde inspirantes valde dolent; tussis initio sicca aut mucum trachealem striis sanguineis rubris mixtum edens, in preumomalacia sauguine dissoluto. Praesertim autem reactionis symptoma, febris synochalis, inflammationem discernit a malacia.

In preumonia venosa symptomata reactionis errorem facile efficiunt: Sed dolores sunt intermittentes, vagi, respiratio brevis, celeris, sputa et febris ut in malacia.

Phthiseos symptomata valde ab illis malaciae discrepant.

HYSTEROMALACIA. PUTRESCENTIA UTERI.

Symptomata et decursus hujus morbi sunt incerta. Solus ferme et perpetuus ejus character is est, ut characteris ei sit nihil (Boer). Qui vir celeberrimus multas vidit puerperas horas XII. post normalem partum convulsionibus corripi ac mori, et sectione facta putrescentiam invenit uteri. In aliis casibus symptomata adsunt febris perniciosae, nervosae, cum virium prostratione subitanea. Febris fere semper typum continuae continentis obtinet, raro tamen normales ei sunt exacerbationes et completae. Sed incertis diei horis cutis temperies est aucta, aut eadem illa sicca et fere urens, aut nonnullis modo locis sudore obtecta. Urina aquosa et clara; lingua humida et pura, dum aegrotae eam urentem habent et de siti conqueruntur. Plurimae diarrhoea colliquativa massarum fuscarum foetidarum, aut vomitu massae viridis laborant. Plerumque lactis secretio turbata, mammae collabuntur aut subito, aut paullatim, interdum autem turgent usque ad ultimum vitae momentum, immo etiam post mortem. Tanta etiam est diversitas in lochiorum qualitate. Interdum sunt normalia et quan-

1) v. Romberg in Horn's Archiv 42 p. 379.

titate et qualitate, saepius autem parca, saniosa et foetida, aut omnino suppressa. Abdomen apud nonnullas est tensum doletque praesertim in regione hypogastrica, apud alias molle et digitis valde pressum non dolens. Maculae cuprinae in brachiis et crure rotundae aut ovales, evanescentes et redeuntes, interitum significant aegrotae. Saepe autem quodque deest symptoma pericolosum, cum putrescentia summum jam gradum adepta mox puerperam immolat. Mori hoc morbo aegras vidi, inquit Boër, libero doloribus ac molli ventre, pulsu fere naturali, haud spurcata lingua et immuni capite.

Metritis, peritonitis, etsi interdum celerrime decurrunt, tamen stadia quaedam percurrunt, earumque symptomata, etiamsi periculosa, nunquam alios morbos aut valetudinem ipsam simulant.

OSTEOMALACIA.

Mollities ossium, malacosteon, osteomalacosis, carnificatio ossium, osteochondrosis, sarcostosis, osteosarcosis.

Infantes, quorum osteomalacia rhachitis appellatur, in prima aut secunda dentitione morosi fiunt, nolunt ingredi multumque turbantur in nutritione. Modo vomitus, modo diarrhoea, modo obstructio adest alvi. Apud adultos exsistunt variae abdominis affectiones, de membrorum doloribus illi conqueruntur, rheumaticos simulant, incessum prohibent moxque sensum efficiunt fere ponderis plumbei. Infantes macrescunt, dum abdomen fit tensum et intumescit, aliis corporis partibus, praesertim extremitatibus, quarum autem quidem epiphyses intumescunt. Una corpus ossium longorum incurvatur, saepissime os cruris introrsum aut retrorsum, quare punctum gravitatis mutatur variaeque efficiuntur formae ingressus. Similem deformationem et os humeri, radius et ulna, atque adeo clavicula subire possunt. Curvaturae columnae vertebrarum

nominibus lordosis, cyphosis et scoliosis satis innotuerunt.

Et ossa lata malacia afficiuntur, quare organorum ab iis inclusorum functiones saepenumero turbantur. Ossibus cranii affectis, cerebri formatio, ossibus pelvis gravidarum et matris et embryi vita multis premitur periculis.

Urina et apud infantes et adultos turbida est, sedimentum album deponens, cui calcaria inest phosphorica.

GASTROMALACIA.

Resolutio et diabrosis membranarum ventriculi (Harless), Gastropathia (Ramisch).

Qui morbus tam infantes quam adultos invadere potest forma et acuta et chronica.

I. GASTROMALACIA INFANTUM.

a. **Forma acuta.**

Infans, qui bene valebat, fit subito morosus, cibos non appetit; lingua tum muco obtecta, tum rubra, tum aphthis obsita. Manus sunt calidae. Frigus et calor alternant. Pulsus fit frequens, sitis non satiabilis Alvus interdum obstructa, saepissime autem diarrhoea adest massarum seroso-mucosarum viridium, vomitus una interdum cum diarrhoea. Infantes inquieti clamant, crus abdomini adtrahunt; regio epigastrica interdum dolet, interdum ne pressa quidem sensum prodit ingratum. Facies pallida, collapsa. Oculi profunde in orbita siti saepe nares versus diriguntur. Respiratio brevis, difficilis, stertorosa. Pulsus fit parvus, irregularis, frequentissimus. Infantes moriuntur aut in somno aut in convulsionibus. Decurrit hic morbus spatio dierum II — IV — VIII.

b. **Forma chronica. Stadia distingui possunt tria.**

Stadium primum s. prodromorum. Infans, qui bene valebat, fit morosus, non amplius ridet, facici

colorem saepe mutat, vagit, somno brevi et inquieto fruitur; per somnum faciei et artuum musculi invicem raptim moventur. Porro prodromis adnumeranda sunt digestio turbata, excretiones alvi irregulares, ciborum appetentia nulla, faciei pallor. Exacerbationes sunt vespertinae.

Dentitio difficilis, exanthemata, dysenteria, febres intermittentes saepe huic praecedunt stadio. Stadium secundum. Infans exsistit difficilior, macescit, diarrhoea consumtus, excrementa sunt viridia, mucosa, aquosa, nonnunquam flocculis albis, striis sanguineis commixta, faecibus vini similia, odorem spargentia acidum. In aliis casibus odorem alcalicum emittunt, sunt colore fusco, quem aëri exposita non mutant, et ex parte ovorum coctorum dissectorumque speciem praebent. Ex nonnullis observationibus diarrhoea abest. Ciborum appetentia languet, sitis ardens, quae sedari nequit, urget; infantes, potum cupidissime ad labia trahentes, poculum manibus ac fere mordici tenent; brevique mora repetunt; qui uberibus nutricum adhuc aluntur, mammas ex ore emittere volunt. Maximis doloribus colicis affici videntur, quippe qui femora ad abdomen trahant et rauca voce vagitum singularem edant. Abdomen et praecipue regio epigastrica modo tensa, tactu dolet, modo mollis, doloribus vacat. Celeberrimus Romberg musculos abdominis relaxatos signum habet pathognomonicum hujus morbi, quod eum inprimis ab inflammatoriis affectionibus abdominis discriminet. In uno casu Celeb. vir cutem abdominis in magnas plicavit rugas, infante ne minimum quidem prodente dolorem. Alii medici totius corporis, praecipue volae manus calorem adauctum observabant; alii volam manus calidam esse referunt, calore ceterarum corporis partium vix aucto, sed potius imminuto. Accedit vomituritio et omnium ciborum, lactis coagulati, aut, vacuo quidem ventriculo, pituitae aquosae aut massae viridis vomitus. Lingua per totum morbi

decursum plerumque pura et humida est, nonnunquam vero in posteriore parte et utroque latere sordida siccaque. Palpebrae semiclausae, pupillae saepe immobiles. Dentium saepe adest stridor. Augetur morositas, inquies, macies maxime in collo, ubi cutis mox rugis notatur. Facies pallore quodam inalbescit, et peculiarem adspectum praebet, qui medicum expertum raro fallit et morbum gastricum indicat; singulis vero temporis momentis aliquid alacritatis saepe redit. Pulsus frequentissimus, exacerbationes longius durantes. Saepe sopor jam adest hoc in stadio, ingruunt convulsiones, sudores frigidi, quos paullo post sequitur dies supremus.

Stadium tertium. Infantes omnia ingesta per os reddunt, primo, qualia assumta erant, postea saepe propria obducta materia e viridi fuscescente. In singulis casibus deest vomitus, in aliis sub vitae demum finem accedit, in aliis cessat. Fluxus alvi, manifesta frusta reddentes, vitiosam si quam in prioribus stadiis naturam habuerant, aut adauctam aut imminutam exhibent. Aegre spiritus ducitur, tussicula oritur, aut, si jam aderat, accrescit. Pulsus plerumque frequens et parvus, nonnunquam irregularis et debilis, calor, ut nonnulli sunt auctores, hujus stadii initio auctus, secundum plurimos vero nonnisi in vola manuum. Infans post multum vomitum, artubus, capite et facie frigore correptis, saepe in lipothymiam incidit; vel potu sumto tam vehementer tussit, vomituque sollicitatur, ut suffocari videatur. Morositas ad summum gradum evehitur, maxima inquietudo exsistit, facies collabitur. Infantes, grandi macie torridi, vix satis virium habent, quibus caput sustineant, semper locum mutant, nutricum brachiis gestari volunt, quibus quamdiu tenentur, majore fruuntur quiete. Quando jactari paullulum desinentes in lectulo reponuntur, clamores edunt vehementissimos, quamdiu non circumgestantur. Peculiaris species sopo-

ris ingreditur, in quo aegroti, facie fere mortuosa, oculis intra cingentes lividos circulos semi-apertis, in cava retractis, sursum tortis, nonnunquam distentis immobilibusque, exhausti in dorso jacent. Strepitus et tactus lenissimus hunc statum intercidit, qui sine ulla caussa externa cum clamore vel gemitu atque corporis volutationibus alternat. Mors aut paullatim aut subito aggreditur. Si paullatim, vires collabuntur, sopor augetur, totius corporis temperatura imminuitur. Respiratio fit tardior, irregularis, stertorosa, pulsus rarus, minimus, intermittens, et vita fugit, iis vix, qui circumstant, animadvertentibus.

Mortem repentinam, quam ventriculi perforatio affert, spasmodici et universalis rigoris paroxysmus praecedit, quo caput retrorsum trahitur, in oculis, lingua et artubus spasmi exoriuntur; vomitus vehementissimus sequitur, qui mox cessat, et, potu assumto non amplius excitatur; frigus marmoreum artus corripit, pulsus intermittens sub digito tangente evanescit, et spasmo remittente infans mortem appetit.

GASTROMALACIA ADULTORUM.

A celeberrimo Louis (anatomisch- pathologische Untersuchungen v. P. Ch. A. Louis aus dem Französ. übersetzt v. Dr. Gustav Bünger. Berlin, 1827.) casus undeviginti gastromalaciae adultorum observati sunt. Apud nonnullos aegrotorum jam nutritionis turbae praegressae erant, uti in casu primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto et undecimo. In omnibus autem casibus initio morbi appententia ciborum aut diminuta, aut omnino exstincta erat; porro aderat semper aut dolor, aut sensus ingratus oppressionis in regione epigastrica, casu novo excepto, horripilationes, quas calor secutus est, post brevius longius temporis spatium vomiturition es et vomitus. In nonnullis casibus una erant et anorexia et vomitus et dolor

in regione epigastrica. Quae symptomata majore aut minore vi usque ad mortem durabant, velut in casu primo, sexto et decimo; saepe remittentia erat, sicut in casu secundo, quarto, quinto et casu a nobis observato, de quo infra agemus.

Decursus gastromalaciae adultorum, duobus tantum casibus exemtis, chronicus fuit. Morbus enim spatium mensium sex-tredecim percurrit, in casu nostro mensium fere trium. Interdum sistere, quin immo in sanitatem transire videtur, mox autem majore recidit intensitate, ut abeat in mortem.

In casibus a Camerer (Untersuchungen über die Natur der krankhaften Magenerweichung. Stuttgard 1828.) et a Louis relatis haecce fuerunt symptomata, quae vocantur pathognomonica.

Vomitus massae viridis aut mucosae. Camerer observat. 25, 26, 32, 36, 38, 44, 47. Louis 1, 2, 5, 6, 10, 11, 14, 15, 16, 17, casu a nobis observato. Blasius (Rust's Mag. 27. p. 453.) cas 1, 2.

Vomitus massae non significatae. Camerer observat. 23, 27, 28, 30, 33, 34, 39, 40, 41, 42, 43, 16. Louis 4, 7.

Vomitus non aderat. Camerer observat. 1, 2, 24, 29, 31, 37, 48, 49. Louis 3, 8, 9, 12, 13.

Singultus. Louis 14, 17, casu a nobis observato.

Ructus. Louis 7, casu a nobis observato.

Diarrhoea massarum viridium. Camerer observat. 39, 42, 43. Blasius 2.

Diarrhoea massae, cui sanguis admixtus erat. Camerer observat. 38. Louis 3.

Diarrhoea massae non significatae. Camerer observat. 23, 24, 25, 26, 27, 28, 30, 32, 34, 47. Louis 2, 4, 6, 7, 10, 12, 15.

Obstructio alternans cum diarrhoea. Louis 5, 8, 10, 11, 14, 16, 17. Diarrhoea massarum nigrarum, ut in melaena, Louis 3, apud nostrum aegrotum aderat.

Dolor in regione epigastrica. Camerer observat. 42, 43, 61 .Louis in omnibus casibus exceptis observat. 9, 12, 51, 44. Blasius (Rust's Mag. 27.)

Sitis. Camerer observat. 33, 34, 40, 42, 43. Louis 1 4, 5, 8.

Anxietas. Camerer observat. 41, 44, 47, observ. nostro.

Convuliones. Camer. observat. 23, 26, 30, 32, 36, 38, 40, 41, 46. 47. Blasius (R. M. 27) 1.

CASUS A NOBIS OBSERVATUS.

M. T. Silesius, annos quadraginta quatuor natus, miles juvenis struma affectus erat, malo patriae ejus endemico, quo, quamquam Berolinum petivit, ubi multorum Silesiorum strumam sponte sanari constat, et multum Jodini edit, nunquam tamen plane liberatus fuit. Annis novissimis XI — XII multum salivabat, glandulis quidem oris non supra normam secernentibus. Saliva igitur abdominalis erat. Hieme praeterita catarrho acuto aeger vexatus et illius salivae magna copia secreta est. Ultimo vitae spatio nimia ejus cura de rebus levissimis fortasse hypochondriae erat effectus. Memoranda est ejusdem haud vulgaris cupiditas panis nigri et casei, quos epulis nitidissimis et optimis praeferre solebat. Ante novem fere hebdomades experrectus est capitis dolore vehementissimo affectus, qui mox vomitu minuitur. Quo ab vomitu quamquam aegrotus noster omnino se liberatum putabat, tamen nonnullis diebus post (31/7 41) a syncope corripitur, cum in alvo deponenda ceciderat. Absentia omnium paralyseos symptomatum, et aegroti a syncope experrecti voluntas ad negotia vix interrupta redeundi, satis syncopes, minime apoplexiae naturam probant. Haecce nunc symptomata proferenda sunt gastrica:

Lingua muco flavo obtecta, vomitus, alvus obstructa, salivatio abdominalis, reactionis symptomata fere nulla. Pulsus quinquaginta ictuum, rarus, tardus. (Saturatio cum tartaro stibiato et tartaro natronato, posterius pilulae ex Rheo, Conio, Hyoscyamo, Ipecacuanha et Calomelane.)

Vomitus liquoris viridis, putride olentis et salivae, interdum modo hujus, quotidie fere semper horis matutinis, jam aegroto jejuno, sed interdum etiam meridianis et vespertinis, praecipue nimio musculorum abdominis nisu, ut in alvo deponenda, perdurat. Fluxus alvi (pilularum supra memorata-

rum usu) quotidie bis massas reddunt nigras, uti ia melaena. Interdum illud symptoma triste, singultus, horam fere dimidiam durat.

Regio epigastrica digito valde pressa dolet (Emserkränchen, pilulae ex extracto Rhei composit. et Hyoscyam.)

Medici celeberrimi in diagnosi „pancreatitis chronica c. complicatione morbi hepatis", consentiunt et hocce applicari jubent (13/8):

Hirudires XII in regione epigastrica, Adelhaidbrunnen, pilulae ex extracto Rhei composito, sap. Jalap. Calomel.

Vomitus nunc rarus, sed non plane exstinctus. Die sequente frictiones c. unguento Jodino. Pilulae calom., quum hydrangyriasin levem procreassent, cum pilulis ex extracto Rhei composito et extract. Colocynthidis mutantur. Balnea quotidiana in lixivia Crucenacensi. Mox status melior fit. Vomitus nullus per dies octo. Lingua pura. Fluxus alvi quotidie bis massas ejiciunt fere semper faeculentas, raro aquosas, coloris nigri, rarius flavi. Aegroti appetentia ciborum normalis. Moestitia cedit hilaritati amoenae. Pulsus, qui fuit rarus ac parvus, frequentior et plenior fit. Aegrotus vehitur nonnullas quotidie horas IV—V somnum tranquillum viresque reficientem capit, moxque negotia interrupta jam rursus adire cogitat. Sed usus vini Hungarici, quantum poculum vitreum dimidium fere continet, priusquam horis meridianis, quum solis radii a zenith calorem ferme urentem demiserant, velamentis indutus, vectus erat, debilitatem mehercule nimiam protulit.

Vomitus illius salivae et liquoris viridis bilem simulantis regreditur, aegroto nusquam dolente. Neque emplastrum tartari stibiati, pustulas nonnullas procreans, nec medicaminum prope omnium (pilul. nempe, △ salubris, balneorum) intermissio, nec saturatio simplex c. Aeth. acet., quamquam ipsa non editur, vomitum mitigat. Alvum, pilulis

sepositis, obstructam, nec clysmi, nec oleum Ricini, cujus cochlear secundum vomitur, aperit. Ferrum muriaticum, in gastropathia a celeb. Autenrieth commendatum, in forma Tinctur. ferri muriatic. praescribitur.

E die $^{6}/_{9}$ horis nocturnis exacerbationes, matutinis remissiones. In illis inquietudo, anxietas, motus involuntarii manuum in caput, pectus etc., interdum convulsiones leves. Adest nonnunquam etiam die anxietas, fere semper illa medicorum adventu provocata, et subito rubore faciei, tremore manuum se manifestans. Lingua muco albo contecta, papillis rubris prominentibus, ut in scarlatina. $^{9}/_{10}$ Enuresis. Urina in vas vitreum stillans rubra, in superficie nubeculas adiposas et imo sedimenta rosea deponens. Ad alvum e diebus septem jam obstructam, capitis tamen doloribus non urgentibus, aperiendam $^{10}/_{9}$ Gr. ji extracti Colocynthidos praescribuntur. Nocte sequente inquietudo summum consecuta est gradum, aegroto in lecto se jactante. Deliria blanda; horis matutinis $^{11}/_{9}$ sedes insciae. Abdomen non tensum, molle, non dolet. Aphonia. Aegrotus omnes propositas quaestiones intelligit, eisque tantum capitis motu respondet, cubat in sopore, e quo strepitu lenissimo expergiscitur, oculos in altum tollens moque in soporem recidens et motus manuum involuntarios reddens, quod symptoma triste nomine floccilegium notum. Vomitus liquoris viridis non cessat, praeterea ructus adest, odorem edens foetidissimum, qui totam fere domum pestilentem reddit. Linguam aegrotus, jubentibus medicis, non profert, quamquam os aperit. Singultus. Enuresis. Urina stillans in vas vitreum fusca, dissoluta cum sedimento pulcherrima alba crystalla continente ammoniacum olens, et acid. instillato nitrico gas ammoniacale edens. Excoriationes scroti et penis. Pulsus ictuum quinquaginta duorum, lentus, tardus, normalis. Cutis pergamen-

tanea, extremitates frigidae, facies hippocratica: symptomata igitur omnino lethalia.

(Lotiones vinosae in totum corpus, frictiones c. acido citrico in regione sacrali, tinctura ferri muriatici, diaeta lactea, fomentationes c. Infuso Chamomillae et vino in abdomen.) In suo sopore nihilominus aegrotus per dies quatuor manet. Vomitus liquoris fusco-viridis cum parvis lamellis, epithelii fere formam exhibentibus, 12/9 ultimus. Horis matutinis remissio quotidie prius intrat, in qua aegrotus oculos in altum, in latus versus tollit, pulsus fit frequens et 14/9 jam ictus octoginta in sexagesima horae parte numerat ac plenus, fortis, normalis exsistit. 15/9 medici aegrotum in eodem sopore jacere, et symptomata febrem nervosam stupidam simulantia edere, non possunt non admirari, qua de re △ oxymuriaticae, Mucilag. Gummi arab. āā ℥j △ dest. ℥ji Chinin. muriat. Gr. vj instituunt. Statu eodem manente pulsus modo frequentia augetur, ita ut ictuum numerus 16/9 horis matutinis CVIII et vespertinis CXL fiat. Decubitus. Ad alvum e 10/9 obstructam, quamquam extracti Colocynthidis Gr. ji, clysmi ex oleo Ricini, Mel. despumat., aceto vini, suppositoria applicata fuerant, aperiendam Infus. foliorum sennae ℥ jii (fol. sennae s. resin. ℥ß), tartar. natronat. ℥ j, Aeth. acet. ℈ß, Syrup. sennae ℥ß, in decubitum emplastrum Cerussae cum Camphora administratur. Diei ejusdem horis vespertinis sedes insciae massarum faeculentarum coloris flavi; nocte insequente sedes insciae aquosae.

17/9 horis matutinis pulsus ictuum CXXXII, plenus, cutis pergamentanea, lingua fusca; aegrotus ad omnes quaestiones capitis modo motu respondet. Cerevisia alba, nutrimentum unicum, mechanice fere in ventriculum cadit. Vomitus e die 12/9 non rediens, deglutitio difficilis, abolitio ructus eumque sequentis pestilentis odoris, paralysin nervi vagi probare videntur. Horis meridianis, in alio

lecto positus, aegrotus in sommum cadit profundum et tranquillum, ex quo medici adventu ejusque in corpore ipso institutis explorationibus, ut characteris et respirationis, non expergiscitur. Interea multum muci ante os colligitur, respiratione tamen normali, pulsus frequentia augetur, innumerabilis fit, mox convulsiones intrant, respiratio disinit, pulsus et cordis ictus evanescit.*)

Sectio XXXVI horis post mortem a celeberrimo Froriep facta est, in qua abdomen tantum aperiri licuit. Colon transversum in superius et sinistrorsum curvatum, aëre tensum; pancreas majus et latius quam par, ejus cauda rubore intenso praedita, et emollita, caput colore albo-flavo. Ventriculus fere prehensus rumpitur; tunica ejus mucosa et muscularis in magna extensione et quidem in fundo evanida; alius ejus locus rubedine effectus, striis nigris adjacentibus. Duodenum colore viridi infectum normale. Hepar, quod attinet magnitudinem, normale, parenchyma leniter modo pressum se rumpens, emollitum, colore nigro; vesica fellea plena bile saturata.

Similes fere casus observatos vide ap. Camerer 5. 47. Louis 4. 9. 10. 11. 14. 17. Rostan 13. 18.

---

*) Cel. Lindes massae vomitu ejectae fere unc. dimid. analysi subjecit, et huncce mecum communicavit eventum: Die sauer reagirende Flüssigkeit wurde bei 60 ° nicht übersteigende Temperatur zur Trockniss verdampft, die trockne Masse mit Aether erschöpft, wodurch eine Spur fettiger Substanz gelöst ward. Die nach der Extraction mit Aether vorhandene Masse wurde nunmehr mit 85 % Alcohol ausgezogen, wodurch eine schwach gelblich gefärbte, sauer reagirende Flüssigkeit erhalten wurde, die salzsaure Salze, wie es schien freie Milchsäure und eine organische Materie enthielt. Nunmehr ward kaltes destillirtes Wasser als Lösungsmittel angewandt, dadurch Schleim, Eiweisstoff und ein gallertähnlicher Stoff erhalten. Was übrig blieb, schien Faserstoff zu sein.

SECTIO CADAVERUM.

Encephalomalacia. In minimo gradu emollitionis substantia cerebri fere normalis et difficile est internoscere, num status sit pathologicus necne. Metamorphosi autem majorem gradum assecuta, cerebri partes in gelatinosam invenimus mutatas massam, caseosam, pulposam, structura fibrosa omnino deleta. Color massae emollitae varius reperitur. Tum est fere normalis, luridus, tum citrinus aut melleus, tum fuscus, rubicundus, non raro nigricans. Saepissime corpus striatum malacia affectum inventum est, saepius cerebri substantia nigra quam alba. Arterias, partes emollitas alentes, saepe ossificatas fuisse Rostan affirmat, et nuperrime apud nostrum architectum, celeberrimum arteria profunda cerebri ossificata fuisse dicitur, parte ab ea instructa cerebri emollita. -

Rokitansky duas discriminat formas gastromalaciae, quarum una, morbus infantum, emollitio gelatinosa nominatur. Metamorphosis — emollitio — videtur membranae muscularis et serosae in massam gelatinosam subcanam, aut subrubram, in qua interdum comparent nonnullae striae subnigrae, i. e. membranarum vasa emollita. Quando haec massa emollita nonnunquam vomitu aut alvo ejicitur, saccus tunc coecus modo membrana serosa constat. Pars emollita vel tactu lenissimo rumpitur, interdum etiam in vita fit diabrosis ventriculi, quam effusio sequitur contentorum ventriculi in cavum abdominis. Universalis, praecipue in toto tractu intestimali, adest anaemia, collapsus universalis et macies maxime musculorum. Saepe est effectus morbi cerebri, praesertim ejus hypertrophiae et hydrocephaliae, qui verisimiliter et in his exstitit casibus, in quibus nullam affectionem cerebri infantilis morbosam culter anatomicus reperire potuit. Forma secunda decoloratione locorum emollitorum insignis est. Duobus caussis diversis oritur, quamquam sem-

per processus acutus et decoloratio telae emollitae effectus est sanguinis aciditate mutati. Tum sequela est morborum acutorum cerebri ejusque velamentorum praecipue meningitidis. Idem est processus morbosus ac gastromalacia infantum gelatinosa. Praeterea non raro invenitur, verisimiliter per reflexum in plexus gastricos et oesophageos nervi vagi, in omnibus ad paralysin ducentibus morbis pulmonum. Sed etiam sequela est gastromalacia processuum dyscrasiae, et per se acutorum et conditionibus quibusdam in acutos mutatorum, velut processum exanthematicorum, exsudativorum, typhi sensu laxiore et pyaemiae, tuberculosis acutae, lethalem tunc afferens exitum horum processuum. Post mortem secundum Hunterum emollitionis autopepsia affectae symptomata haec sunt, si emollitio in membrana mucosa finitur atque emollitio his potissimum in locis exstat, quibus chymus adjacet.

a) Defectus omnium phaenomenorum, quae in gastropathia observantur.
b) Mors subitanea aut normalis, aut violenta, nullo praegresso morbo, ventre chymo oppleto.

De Burns et Rhades una invenerunt emollitionem hepatis, pancreatis, splenis et oesophagi.

In hysteromalacia putrescentia semper in superficie uteri interna incipit, in eaque finitur. Plerumque orificium uteri ejusque collum, interdum fundus et tunica Hunteri locus est affectionis morbosae. Affectus locus, variae magnitudinis, semper finibus acutis, nonnunquam illis rubris, a partibus integris separatus, consistentiam praebet fructuum putridorum atque odorem dispergit intolerabilem. Et in oculis processu emollitionis animadversus est.[1])

Ophthalmomalaciam de Ammon vidit. — Blepharochondromalacia apud longaevos et laxos homines observatur, qui aetate infantili saepius blepharadenitide scrophulosa, posterius autem ophthalmia laborarunt arthritica vel erisypelatosa.

1) Hecker's Annal. 16, p. 1.

Abit in ec- vel entropium vel atrophiam chondri. — Ceratomalacia secundum Schön affuit, ubi cornea post inflammationem scrophulosam, arthriticam, scorbuticam, laxa et emollita erat, pure in ea non invento, et posterius aut in atrophiam exibat (rhytidosis), aut perforabatur. Vid. Breschet (la clinique febr. 1828). De Ammon morbum porosis malaciae adnumerat. Himly hanc affectionem corneae observavit variolorum metastasin. Billard (maladies des enfans nouveau-nés et à la mamelle sed. 1835. Bruxelles p. 37) apud infantes diu affectionibus gastricis pressos emollitionem corneae deprehendit, ex qua membrana media in parte perforata liquores oculi lensque proruperunt. Denis (recherches d'anatomie et de physiologie pathologiques sur plusieurs maladies des enfans nouveau-nés. Commercy, 1826. 8.) pluries corneae emollitiones observavit, gastricas comitantes affectiones. Conferas infra experimenta.

Scleroticomalacia fere semper hydrophthalmiam universalem et secundum de Ammon staphyloma scleroticae sequi fertur. Choroideam de Ammon una cum membrana nervea et corpore vitreo emollitam invenit in oculo amaurotico. Phacomalacia est cataracta mollis et quidem a. cat. caseosa, scabrosa, gelatinosa, lactea, fluida; b. cat. viridis, s. glaucomatosa; c. casus plurimi cat. congenitae; d. casus nomine „Vereiterung der Linse" suppurationis lentis noti. Morgagni de causs. Epist. 13. Nr. 5., 63. Nr. 6. Hyaloideomalaciae glaucoma et synchysis, resolutio corporis vitrei adnumeratur. Quae potissimum dyscrasiam arthriticam, vel abusum hydrargyri sequi dicitur. Morgagni Epist. 13. Nr. 15. Amphiblestrodomalaciam, malaciam membranae nerveae, de Ammon (p. 113.) observavit. Ophthalmoneuromomalaciam, malacosis nervi optici, semper ferme apud homines longaevos et in altero tantum oculo cernitur. Lallereux (Journal de la société de Méd.

1814.) Morgagni Epist. 13. Nr. 8., 52 Nr. 30., 63. Nr. 6. Voigtel Handb. d. path. Anat. V. 1. Tempore nobis pressis liceat emollitiones afferre inventas in hominibus mentis morbis defunctis. I. E. Greding, (vermischte med. u. chirurg. Schriften. Altenburg 1781.) cerebrum emollitum vidit apud centum et duo deviginti, Romberg (Zeitschr. für psychische Aerzte, 1822. p. 125.) cerebrum et medullam spinalem in casu observato secundo et quinto; cor emollitum erat apud Greding, tenue et flaccum apud Romberg in casu tertio et quarto, et apud Marschal in quinque de casibus septem; costas malacia affectas nactus est Greding (p. 197.) atque hepatomalacia ab eodem in casibus octo observata est.

EXPERIMENTA.

Gravissimae sunt observationes sectione nervorum et ligatura vasorum factae, et morbos et desorganisationes nervorum sequentia phaenomena in cornea, quae tabula e pag. 229 (Physiologische, pathologische und medic. practische Untersuchungen über die Spinalirritation von Dr. Stilling. Leipzig, 1840.) exemta edit.

Defectus primitivus reflexionis partis sensitivae nervi trigemini in partem vasomotoriam.

a) Sectionem n. trigemini.		semper sequit. ulcer. corneae.
b) Morbos et desorganisationes ganglii Gasseri ec.		
c) Atrophiam summum consecutam gradum, et imminutam reflexionem systematis nervosi partis sensitivae.	1. apud infantes 2. - longaevos 3. - animalia saccharo pasta.	
d) Debilitatem nervorum sensitivorum effectam.	1. febri typhosa 2. cholera 3. partu.	
e) Defectum reflexionis, circulatione vel tarda vel sublata ut ligatura Carotidis effectum.		

Experimenta p. 106 — 128 memorata, partim a Stilling ipso, partim ab aliis facta, hac sunt intelligenda e tabella:

1. Sect. nervi trigem. seq. abolit. sensibil., haesit. sang., ulcer.						
2.	- n. vagi	-	-	-	-	- emollitio ventriculi et pulmonum
3.	- n. pudendi	-	-	-	-	- ulceratio(?)
3.	- n. ischiadici	-	-	-	-	- ulceratio.

in omnibus ab his nervis, qui dissecti erant, instructis partibus.

EPICRISIS.

Malaciam multi auctores morbum habent inflammatorium, ut Andral, Dupuytren, Lallemand, Hutin, Louis, Billard, Feiler, Hecker, Henke, Zeller, Mass, Pohl, Harless, Krukenberg, Jörg, Wendt, Nagel gastromalaciam. Quamquam Schönlein encephalomalaciam inflammationibus adnumerat, cura tamen casus duodecimi a Fuchs (Beobachtungen und Bemerkungen über Gehirnerweichung. Leipzig 1838) divulgati, cum eventu prospero instituta, veram ejus de encephalomalacia opinionem nos docet. Nam frictiones c. liquore ammon. caust. in caput tonsum, clysmi irritantes, epispastica et infusum arnicae montanae c. liquor. ammon. caust. ad internum porrectum usum satis probant curam antiphlogisticae omnino contrariam. Quum neque in locis emollitis, ait Rokitansky de Gastromalacia (Handbuch der pathol. Anatomie, vol. III, sect. 2. p. 195) nec in eorum ambitu, nullo stadio, hyperaemia, injectio et rubor conspiciatur, quumque nec in superficie interna ventriculi, nec in tela membranarum exitus inflammationis adsit, sane hunc processum omnino non inflammatorium esse oportet. Teuffel (Carlsruher Annalen sec. ann. Fasc. I.) causam et processum gastromalaciae in nervi vagi, plexusque coeliaci affectione morbosa quaerit, quorum functionem diminutam et alienatam secretionem succi gastrici bilisque vitiosam producere putat.

Quum apud multos mentis morbis defunctos malacia inventa sit atque experimenta nos edocuerint, sectionem nervorum semper malaciam sequi partium nervis, qui dissecti erant, praeditarum

contendere licet malaciam saepe esse effectum innervationis sublatae.

Quia et malaciam videmus organorum, in quibus sanguinis circulatio arteriis ossificatis partim diminuta, partim omnino sublata erat, affirmare possumus, malaciam saepe esse effectum circulationis sive tardae, sive omnino sublatae.

Denique reproductio ipsa nimis adaucta saepe caussa esse potest malaciae. Nuperrime enim multa sunt scripta de specie quadam reproductionis auctae nempe de inflammatione serosa, quae nihil est nisi excretio fluidi limpidi et plastici, vel ex cellulis, vel ex fibris, vel ex utrisque constantis. Cujus species et emollitio esse potest.

V I T A.

Ego M. Joachimsthal anno hujus saeculi decimo sexto Wratislaviae natus patre optimo Ludovico, matre e gente Schweizer, utroque praematura morte mihi jam erepto. Veteris testamenti fidei addictus sum. Literarum elementis imbutus scholam Guilelmam, directore Francolmo florentem, adii, qua post quatuor annos relicta gymnasium Elisabethanum sub auspiciis directoris Reiche per sex annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus anno MDCCCXXXVII a rectore magnifico Bernstein inter cives academicos receptus et ab illustr. Betschler, t. t. decano, in album inscriptus sum. Hisce interfui lectionibus: Ill. Benedict de chirurgia, Ill. Braniss de logice et psychologia, Ill. Fischer de chemia universali et pharmaceutica, Ill. Gravenhorst de zoologia, Ill. Henschel de hodegetice et botanice, Ill. Nees ab Esenbeck de botanice, Ill. Otto de anatomia corporis humani, de anatomia comparata (qui idem vir Ill. dux mihi fuit in arte cadavera rite secandi per duo semestria), Ill. Pohl de physice, Ill. Purkinje de physiologia et pathologia generali, Ill. Glocker de mineralogia. Anno MDCCCXXXIX profectus sum Berolinum, ubi a Rectore magnifico Ill. Müller inter cives academicos receptus, apud Ill. Schultz, t. t. facultatis medicae decanum, nomen professus, scholas per quinque semestria adii hasce: Ill. Horn de syphiliticis, Ill. Müller de anatomia comparata, de physiologia et anato-

mia pathologica, Ill. **Mitscherlich** de zoochemia. Praeterea clinica frequentavi medica, Ill. **Schönlein**, Cel. **Wolf**, Cel. **Truestedt**, Ill. **Busch**, Ill. **Osann**, Cel. **Busse** et Cel. **Barez**, chirurgica Beat. **Rust**, Ill. **Jüngken** et Ill. **Dieffenbach**. Quibus omnibus viris Illustrissimis, Clarissimis, Amplissimis, optime de me meritis, gratias et ago et habeo quam-plurimas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superato, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Cura, symptomatica dicta, non rejicienda.
2. Morbos locales esse contendo.
3. Medici est mortem, quam prohibere nequeat, certe reddere mitiorem.
4. Therapia, quo simplicior, eo magis rationalis.
5. Non exsistunt morbi oculorum peculiares.
